



1713, 20

¹⁴
~~23~~
41 23

CHRISTIANI WILDVOGELII. ICT
CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI ET ANTECES-
SORIS COLLEGII IVRIDICI SENIORIS ET H. T.
DECANI.

DE

RE PER MELIORATIONEM
DETERIORE REDDITA

AD

L. FIN. D. VSV ET HABIT.

PROGRAMMA INAUGURALE

P. P.

D. XXVI. NOV. AC M DCC XIII.

LITTERIS MVLLERIANIS.

Herrn Martin Christian Legemann



35
4
CHRISTIANI WILDOGELLICI
CONSILIARI SAXONIAE SENIORIS INTIMI ET ANTICEDENS
SORS COLLEGI JURIDICI SENIORIS ET H. T.
D E G A N I

D E
RE PER MELIORATIONEM
DETERIORE REDDITA

AD
L. HN. D. VSV ET HABIT.
PROGRAMMA INAVGVRALE

T. P.
D. XXVI. NOV. MC. MDCC. XIX.

LITTERIS MAJESTATIS



Deteriorem reddere aliorum rem, jura civilia pariter ac naturalia prohibent, variaque contra illos, qui tale quid committunt, constituerunt remedia. Actione namque L. Aquiliae reparatur damnum, quod quis urendo frangendo, scindendo aliove modo per dolum aut culpam rei alienae intulit, §. 13. *f. ad L. Aquil. l. 17. §. 12. l. 40. cum seqq. eod.* & quidem aestimatione facta, quanti aliquo dierum triginta proxime elapsorum spatio res plurimi fuerit. *l. 2. l. 21. l. 29. §. fin. d. 1.* Præterea actione locati contraria agi potest, ad restitutionem damni, quod locator a conductore passus est, per corruptionem rei ipsi locatae, *l. 11. §. 2. l. 60. §. 7. loc. cond.* Hinc inquilino ædium, licet ostium vel alia quædam ædificia illis adjecerit, hæc quidem tollere licet, ita tamen, ut de damno infecto domino ædium caveat, ne in aliquo, dum ista aufert, deteriorem ædium causam faciat. *l. 19. §. 4. loc. cond.* Eadem ratione commodatarius tenetur, si rem commodatam commodanti reddat deteriorem. *l. 3. §. 1. commod.* Proprie enim res haud reddita dicitur, quæ deterior redditur. *d. l.* Pignus quoque & depositum, si deterius ab eo, qui accepit, factum fuerit, dolo malo redditum videtur, *l. 18. §. 1. commod. l. 1. §. 16. depof.* Intelligitur autem res deterior facta, cujus pretium quavis ratione diminuitur, detrahendo aliquid ejus substantiæ, vel etiam

iam qualitatibus adjectis. Prius quidem patet ex lege Aquilia, quippe quæ actionem concedit, quoties corpore & in corpus damnum datum est: Posterius contingere potest, si quispiam utilitatem ex re proveniente perdat vel impediat. Hinc si maritus servitutem prædio dotali debitam remittat, conditionem prædii deteriore reddere dicitur, *in l. 6. d. fund. dotal.* Alio quodam modo deterius nomen factum censetur, quando illud à debitore, ob eius inopiam, penitus exiginequit, *in l. 35. C. d. reb. cred.* quod Germani vocant: *Böse verdorbene Schulden.* *add. l. 5. §. ult. d. conjung. cum emanc. lib.* Refertur porro Deterioratio quoque ad animum hominis, atque hinc deterior factus dicitur servus, si forte aleator, vinarius vel erro evaserit, prout Jctus scribit *in l. 25. §. 7. d. adil. ed. l. 4. §. 1. cod.* Simile habetur *in l. 1. §. f. d. serv. corrupt.* ubi deteriore fecisse servum dicitur, qui illi persuasit, ut injuriam faceret, vel furtum, vel fugeret, vel ut peculium intricaret, aut amator existeret, vel erro, vel malis artibus esset deditus, vel in spectaculis nimius, vel seditiosus, vel si actori suaferit verbis, sive pretio, ut rationes dominicas intercideret, adulteraret, vel etiam ut rationem sibi commissam turbaret. Quantum ad alias res inanimatas attinet, si qualitas illarum externa immutetur, ut pristino usui inseruire nequeant, deteriores factæ dicuntur, id quod *in via publica* accidit, si hæc ira corrumpatur, ut, cum plana fuerit, cli- vosa fiat, vel ex molli aspera, aut angustior ex latiore, aut palustris ex sicca, docente Vlpiano *in l. 2. §. 32. ne quid in loc. publ.* Statio quoque navium navigationisque iter deterius fieri censetur, si usus ejus corrumpatur, vel quoquo modo impediatur, ut difficilior cursus, aut minor, aut rarior fiat, *l. 1. §. 1. §. 15. d. flumin.* Minus igitur dubii subest, deterio- rem

rem fieri rem, si facies ejus & forma in totum commutetur, ut si arbores in sylva excindantur, aut hortus rastro subigatur, *l. fin. §. fin. d. term. mot. Vid. l. 1. §. 11. d. nov. oper. nunc.*

Hæc omnia, si ad usufructuarium referantur, nemo ambigit, ea, quæ generatim unicuivis hominum in civili societate viventium interdicta sunt, etiam illi esse prohibita, cui jus utendi fruendi rei alienæ est concessum, id quod ex plurimis legibus luculenter apparet. Nec enim fundi usufructu legato, arbores frugiferas excidere licet, neque villam diruere, neque quicquam facere in perniciem proprietatis. *l. 13. §. 4. de usufr.* Inde nec lapidicinæ, nec metalli fodinæ institui possunt, si agri pars necessaria his rebus occupetur, *d. l. §. 5.* Neque diatas transformare, vel coniungere aut separare, vel aditus posticasve vertere, vel viridaria ad alium modum convertere permissum, *d. l. §. 7.* Quid autem, si per hanc immutationem usufructuarius fundum in melius mutet, num hoc ipsi licebit? Ita quidem dicendum videtur, cum quilibet non naturali saltem jure commoda proximi sui promovere teneatur, sed & si quis res aliorum in meliorem restituat statum, laudem potius quam vituperium mereatur; ex quo etiam actio ipsi permissa est negotiorum gestorum, adversus illum, cujus absentis vel ignorantis negotia utiliter gessit. Veruntamen aliud plane Jctis veteribus placuit circa usumfructum, statuentibus, fas non esse usufructuarium immutare faciem rei, in qua usum fructum habet, licet vel maxime eam per hoc reddat meliorem. Ita enim Ulpianus in *l. 7. §. fin. & l. 8. d. usufr.* neque ampliari usufructuarios ædes, neque utile detrudere posse, docet, quamvis melius repositurus sit. Et plenius Neratius in *l. 44. eod.* usufructuarius, scribit, novum te-

etorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest: quia, tametsi meliorem, excolendo aedificium, domini causam facturus esset, non tamen id jure suo facere potest. Ratio hujus decisionis in eo consistere videtur, quod faciem rei immutare, propius accedat ad dominium, ejusve imitetur effectum: usufructuario vero non nisi jus quoddam in re competit, facultas sc. percipiendi utilitatem ex alterius bonis. Ne igitur proprietario jus suum intervertatur, restringenda merito fuit libertas illius, qui utilitatem ex ista re percipit, ne pro lubitu tractando rem alienam, ipsum dominium exercuisse videatur. Accedit, quod ingenia mortalium maxime sint diversa, ita ut uni placeat, quod alteri displicet: atque ita fieri possit, ut dominus fundi majorem capiat delectationem ex facie rei nativa vel rudi, quam alius ex elegantissima & juxta regulas artis composita forma. In hoc igitur unius cujusvis domini voluntas magis spectanda venit, quam ejus, qui saltem rei habet usum. Hinc non sine ratione Ulpianus in *l. 13. §. 4. d. usufr.* scribit: *Si forte voluptate (seu voluptuarium) fuerit praedium, viridaria vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosas opacas atque amoenas habens, non debere usufructuarium illas desicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum spectat.* Atque hinc recte Paulus in *l. fin. d. usu & habit.* hanc ponit conclusionem: *Facit rem deteriore, etiam in meliorem statum commutans.* Sic igitur immutatio rei, etiam in melius, haud quamquam permessa erit fructuario, bene tamen immutatio usus: atque sic melioratio ipsi conceditur, modo non immutetur externa fundi superficies. B. Struv. in *Evol. LL. obst.* Quo pertinet, quod Ulpianus notat in *l. 13. §. 5. d. usufr.* posse usu-

usufructuarium venas lapidicinarum & metallorum inquire-
 re, auri quoque & argenti & sulphuris & aris & ferri & cæ-
 terorum fodinas, vel quas paterfamilias instituit, exercere
 vel ipsum instituere, si nihil agriculturæ noceat. Verum ad-
 huc superest difficultas in eo, quod idem Ictus ait, in d. §. 5.
Et si forte in hoc, quod instituit, plus reditus sit, quam in
vincis, vel arbutis, vel olivetis, qua fuerunt, forsitan etiam
hoc deicere poterit usufructuarius, siquidem ei permittitur
méliorare proprietatem. Varias ad hunc scrupulum exi-
 mendum conjecturas affert Gothofr. in not. ad d. l. 13. Aut
 enim dubitationis in modum respondere putat Ictum, ob-
 verbum; *forsitan*: aut favore ultimæ voluntatis ita decidere
 hunc casum, autumat: aut de eo casu intelligendum esse, quod
 ipse paterfamil. jam instituerat metallifodinas, quarum
 tunc exercitium fructuario permissum esse, ex antecedentibus
 colligi potest: denique diversitatem subesse suspicatur,
 inter rem, quæ certis finibus constat, & inter prædia ur-
 bana & rustica, ita ut in illis immutatio non sit licita, ne se-
 urbs ruinis per ædificia dejecta deformetur; in his vero ead-
 em excusetur, si major annona copia ex agris in meliorem
 utilitatem commutatis expectetur. Stat igitur regula firma,
 non posse quempiam rem alterius immutare, etiamsi per hoc
 melior fiat, sed hanc meliorationem haberi pro deteriora-
 tione. Similis fere casus proponitur ab Ulpiano in l. 27. §.
 28. ad l. Aqu. de eo, qui puerum castraverat & per hoc
 eum pretiosorem fecerat: ubi dubitabatur, an actio L. A-
 quilia contra castrantem competeret? Et Vivianus quidem,
 teste Ulpiano d. l. scripsit, Aquiliam cessare, quoniam hæc
 actio saltem ob damnum datum competit, quod tamen hic
 illatum non est: attamen injuriarum agendum esse, aut ex
 edi

edicto Adilium, aut in quadruplum, idem affirmat. Hujus decisi ratio eo nititur fundamento, quod deterioratio quædam in puero commissa sit, licet is pretiosior inde sit effectus: nam virilibus amputatis, imbecillior redditus est puer, atque lucrum futurum non castrati, præsens lucrum servi exsecti superat, soboles etiam ex eo sperata magis attendenda venit, quam hæc injuriosa pretii amplificatio. Ex quo porro sequitur, eum, qui castravit puerum aut servum alienum, non posse impensas repetere a domino servi, siquidem quilibet b. f. possessor expensas utiles non deducit, nisi ipse dominus eas etiam fuisset facturus. *Garf. d. expens. c. 1. n. 25. Menoch. d. A. I. Q. l. 2. cas. 258. n. 51. Gædd. ad l. 79. §. 1. d. Verb. Signif.*

Talem deteriorationem metuere necessum non habent, qui ingenuis artibus, literis ac scientiis animum suum excolunt, atque meliorem reddere allaborant. Licet enim forte reperiantur bonarum artium otores & rofores, literarum, imprimis jurisprudentiæ, studium nobiles aut illustriori gente prognatos non decere reputantes, sed potius plebejis & humilioribus convenire audacter putantes; attamen has & similes voces non hominis sed bovis esse, recte quis dixerit, memor illius, quod Ulpianus scribit, *l. 1. §. 6. d. extraord. cognit.* qui civilem prudentiam rem esse sanctissimam, & quæ præio nummario æstimari nequit, ingenue profitetur. Ut enim auro majus accedit pretium per gemmam annulo inclusam, ita quoque eruditio natalibus juncta, illustrius longe jubar istis conciliat ac decus perenne. Optima ratione id pensitavit nobilissimus Jurium Candidatus in publicum jam producendus

HEN-

HENRICVS MARTINVS CHRISTIA-
NVS ZIEGENMEYER,

de cuius ortu, studiis ac vita haectenus laudabiliter acta, more recepto pauca quaedam adducenda veniunt. Ortum habuit anno M DC LXXXIX. die XV. Nov. ELRICÆ, quæ comitatus Hohensteinensis caput existit, Patre, Iuris consulto excellentissimo & Regis Borussiae Potentissimi a Regiminis ac Synedrii sanctioris consilii, itemque rerum militarium arbitro spectatissimo, LVDOVICO GEORGIO ZIEGENMEYERO: Matre, sexus foeminei ornamento, DOROTHEA WEBERIA, viri amplissimi, IOANNIS WEBERI, monetariae in metalliferis Hercyniae urbibus a serenissimis Ducibus Brunsvicensibus cum maxima laude sua Praefecti, filia praestantissima. Annis postea *Noster* & viribus auctus, sicut praecipuos non unos habuit, sic prima bonarum artium rudimenta sub scholae Bleichenrodensis Rectore clarissimo, BINTHEIMIO, posuit, ducem eo ex tempore minus fidelem & commodum nactus TRILLERVM: quem relinquendum ipse mox ratus, patre tunc graviter decumbente, Northusam se contulit, ab HENRICO & BVHLIO, illo Subconrectoris, hoc Conrectoris munia laudabiliter obeunte, ad meliora studia & magis profutura formatus. Tum ad gymnasium Quedlinburgense delatus, non scholas solum publicas solertissimorum virorum M. IOANNIS ECKHARTI, ad lycei istius clavum sedentis, & M. IOANNIS DVNHAVPTII, Conrectoris doctissimi, sed & domesticas praclarissimi viri, M. HEROLDI, precibus ejus eo inducti, ut tam graeci sermonis praecepta, quam ar-

tis oratoriae ac dialecticae instituta, una cum chronologorum & geographorum placitis, rerumque gestarum scientia, ejus animo instillaret, constanter & cupide celebravit. Postquam igitur memorati ECKHARDI auspicio suorum perfectuum documenta plurima ediderat, & tam publice, quam intra domesticos lares iterum atque iterum verba ad auditores fecerat, disciplinarumque ad scholas spectantium orbem absolverat, de praceptorum consilio Salanani nostram ingressus & a Rro-Rectore semestris hujus magnifico, atque collegii nostri Ordinario Praeside gravissimo, IO. PHILIPPO SLEVOGTIO in civium literatorum al-
 bum relatus est. Cum autem nihil hic magis quam otium fugeret, primitus clarissimum M. STOLLIVM, deinde consultissimum juris Doctorem & provincialis jam curiae ducalis advocatum, GERHARDVM, illum philosophiae ab illustri Thomasio traditae, hunc juris naturalis interpretem, audiebat. Praeterea juris historiarumque apud nos Professore celeberrimum ac Saxoniae Ducum Consiliarium, BVRCHARDVM GOTTHELFFVM STRVVIVM cum notitiam rei litterariae & Monzambani de statu Imperii librum, suamque juris Bibliothecam sermonibus publicis illustraret, domi vero historiam universam speciatimque Germanicam & ad fata jurisprudentiae attinentem, nec non publicum jus artemve politicam explicaret, assidue auscultavit. In ipsa denique justae ac aequae sapientia, pro eo, ac par est, excolenda, initio HAHNEMANNVM consultissimum, institutiones imperatorias, digestorumque nec non juris feudalis & canonici sancita docentem, atque ad fori exercitia applicantem; deinde excellentissimum KRESSIVM, Helmstadii jam Professore juris dexterri-

mm

mum, pandectarum & canonici juris statuta sedulo incu-
 cantem, atque antea laudatum GERHARDVM feudorum
 doctrinas secundum Teutonica & Alemannica jura enucle-
 antem, deque ecclesiarum protestantium statu, ICti Lipsiensis
 TITII ductu, perspicue differentem sibi adjunxit, actionum
 vero forensium rationem tum a ICto excellentissimo & Ante-
 cessore celeberrimo, IOANNE CHRISTIANO SCHROË-
 TERO, tum ab exercitatissimo in aulica curia causarum
 patrono, IOANNE CHRISTIANO SCHMIDIO, non si-
 ne successu edoctus est. Quarum rerum indicia atque ar-
 gumenta clarissima sicut in examinibus, quibus ad mode-
 stissimum ipsius petitem ejus studia exploravimus, diebus
 his dedit, ita crastino, si Deus voluerit, die, ad Iurecon-
 sultorum cathedram, ex qua *Legem LIV. D. ad L. Faloid.* de
 more interpretabitur, aditum ipsi aperiemus. Quod ut
 illustriore auspicio fiat, Prorectorem magnificentum, Proceres
 Aulae & Academiae excellentissimos, venerandos sacrorum
 antistites, hospites spectatissimos, studiorumque inprimis
 cultores florentissimos, verbis officiorum atque humani-
 tatis plenissimis, nec sine animi grati promissione, collegii
 nostri nomine invito.

P.P. sub Facult. Sigillo, die XVI. Novembr. A. C.
 M DCC XIII.







ULB Halle

3


006 548 385



VD 18







1713, 20
41 23

CHRISTIANI WILDVOGELII. ICT
CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI ET ANTECES-
SORIS COLLEGII IVRIDICI SENIORIS ET H. T.
DECANI.

DE
RE PER MELIORATIONEM
DETERIORE REDDITA

AD
L. FIN. D. VSV ET HABIT.
PROGRAMMA INAUGVRALE
P. P.

D. XXVI. NOV. AC M DCC XIII.

LITTERIS MVLLERIANIS.

Stamm, Martin Christian Legemayer

